Nolo enim putes quod vel montes vel deserta vel aula. Ita possunt animae
conferre silentium perturbationesque premere. Ut ignis iste quem in ea
xps accendit; hic ignis in anima pauli per dies singulos flante spu sco magis
ac magis accendebatur, & ad superna tendens secum eum usque ad ipsum perdu
xerat caelum; immo ut verius dicam inposuerat eum non usque ad primum
caelum tantum neque ad secundum, sed usque ad tertium. & ipse quidem
usque ad tertium raptus est caelum. Amor autem eius & desiderium quod ha
bebat erga caritatem xpi non solos tres penetraverat caelos, sed omnes omnino
transcenderat, & adusque ad ipsum pervenerat xpm; & puto quod non delin
quat aliquis si istum hunc tali cuidam conferat similitudini, ut si verbi gratia
flamma quaedam inmensa [emersa sit] super terram & inde ascendens repletis om
nibus usque ad ipsa perveniret caeli fastigia, sed & exsuperans etiam illum
qui supra caelum est aerem transcenderet. Sive aerem ille dicendus est, sive quid illud
atque ubi etiam illa quae ibi sunt spatia conpleret. Nec illic quidem flamma haec
incrementa finiret, sed ascenderet adhuc usque ad tertium caelum & omnia
haec uno atque eodem igne conpleret & ita ut nec terrae ullum nec caeli immo cae
lorum spatium vacuum derelinqueret, & ne putes haec me ad gratiam pauli dice
re, relege quae ad idem & ipsum super haec ipsa materia scripsimus & invenies rebus
haec ibidem monstrata esse non verbis. Ita debet amari xps. Ita oportet animam a rebus
effici praesentibus & visibilibus alienam, tales erant animae sanctorum prophetarum &
ob hoc acceperunt etiam alios oculos quibus possent videre futura, & enim renun
tiare praesentibus rebus & alienum effici ab eis proprium hoc humanae industriae
est opus; post haec vero accipere oculos quibus ventura prospicias divini muneris
donum est, talis fuit helyseus qui cum omnia reliquit mundana negotia & ama
vit propheticam vitam regnum caeleste & supernam gloriam in terris adhuc positus
vidit; vidit enim quae numquam mortalis visus inspexerat, montem curribus
igneis atque equis flammeis plenum armatorum turmas & castra caelestis exer
citus. Nemo enim potest oculus eorum qui delectantur praesentibus & caducis caelestia
ac spiritalia contueri, qui vero ista iam contempserit & velut umbra haec ac pulverem
duxerit, vel oculos ad illam pervenit, nam & apud homines hic mos est ut tunc thesauros
suos reconditasque divitias patefaciant filiis suis cum eos adultos iam viderint &
puerilis lasciviae vitia respuisse, donec enim his dediti sunt non possunt eis paren
tum secreta committi; Ita ergo & anima nisi prius didicerit terrena contemnere
caelestia rimari non poterit, & e contra donec terrena rimatur, necessario cae
lestia spernit ac despicit, hoc erat quod & beatus paulus aiebat, quia animalis homo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0338